



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus de Conscientia, de Legibus, de Peccatis, de Virtutibus
Theologicis, de Religione, & Beneficiis. Adjunctis in hac editione
Propositionibus ad hanc usque proscriptis

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, 1734

VD18 90392140

Q. 8. An peccatum mortale ex genere suo fieri potest veniale & vicissim?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40986

misericiordiæ, Majestati, excellentiæ infinitæ Dei; & per ista graviter læduntur charitas, fides, spes religio, &c. Talia item sunt, quæ graviter disconveniunt naturæ rationali, seu ex se gravem habent inordinationem, ut delectatio venerea extra conjugium, pollutio, &c.

Mortale verò ex genere suo, sed non toto est illud, intra cujus objectum, seu materiam datur aliquid ex se grave, & leve, seu graviter, & leviter inordinatum, ac prohibitum, quatenus per aliquam materiam graviter, & per aliam leviter læditur virtus, quæ est finis præcepti. Nam illa materia censetur gravis, per quam graviter læditur virtus, quæ est finis præcepti; & ea est levis, per quam leviter læditur talis virtus, ut patet in furto.

Q. 8. An peccatum mortale ex genere suo fieri potest veniale, & vicissim?

Resp. I. Cùm ad mortale requiratur gravitas materiæ, & sufficiens advertentia, & consensus, sequitur peccatum ex genere suo mortale fieri veniale. I. Ob levitatem materiæ, ut patet in peccatis contra justitiam, v. g. Furto levi. Nam tunc leviter læditur justitia, quæ est finis præcepti vetantis furtum, & sic tunc est levis inordinatio, & transgressio, ac offensa

fensa Dei. Peccata autem ex toto genere suo mortalia non possunt fieri venialia ex parte materiæ, quia in quavis eorum materia reperitur gravis difformitas, & per quamlibet eorum quantitatem graviter læditur virtus, quæ est finis præcepti. Porro materiæ levitas in iis, quæ levitatem materiæ admittunt ex circumstantiis, & præsertim, ex quantitate materiæ, & ejus conducentia ad finem dijudicanda est. 2, Ob imperfectionem actûs ex parte intellectûs, & voluntatis. Ita *S. Thom. 1.2. q. 88. a. 6. Potest id, quod est ex genere mortale, esse veniale propter imperfectionem actûs, quia non perfectè pertingit ad rationem actûs moralis.* Hoc est, quia deest sufficiens advertentia, & consensus ad hoc, ut actus dicatur simpliciter liber, & humanus. Actus autem, seu consensus voluntatis imperfectus, & semiplenus, ideóque insufficientis ad mortale est ille, qui datur cum impotentia plenè advertendi ob impeditum rationis usum, qualis impotentia est in semi dormiente, modo hæc sit omnino involuntaria: sicut consensus dicitur plenus, ac perfectus, cum datur ab homine plenè sui compote, & habente usum rationis expeditum, & valente plenè advertere. Similiter advertentia imperfecta, seu semiplena est ea, quæ procedit ab homine non perfectè sui compote, nec habente usum rationis expeditum

tum

tum, qualis est semidormiens. Sicut enim hic non habet perfectum iudicium rationis, nec plenè advertere potest ad id, quod agit: ita interdum fit, ut quis ob subitam, & vehementem passionem, aut distractionem ad res alias non advertat, nec advertere possit ad actum suum, quantum requiritur ad mortale. Unde delectatio de objecto malo, quæ cæteroquin esset mortalis, potest defectu sufficientis advertentiæ esse solùm venialis. Advertentia verò perfecta, & plena est ea, quæ procedit ab homine sui compote, & habente usum rationis expeditum.

Hinc triplex distinguitur motus, nempe primò primus, qui subitò ante omnem mentis advertentiam insurgit, nec ullatenus pendet à voluntate, & hic non est culpa secundum se: secundò primus, qui est cum aliqua, sed imperfecta advertentia, sufficiente quidem ad culpam venialem, non autem ad mortalem, qualis est in semidormiente: & motus plenè, ac perfectè deliberatus; qualis est in vigilante, & plenè sui compote; & hic est mortalis, si sit graviter inordinatus.

Imperfectio tamen actûs nunquam impedit quò minus ea, quæ sunt ex objecto venialia, revera sint venialia, ut docet Suarez. Quia ad culpam venialem sufficit quodcunque voluntarium, & liberum, sicut & quantulacunque inordinatio; secus verò

verò ad mortale ; nam homo non potest, ex qualicunque actione, & quantumvis imperfecta constitui reus perpetui odii Dei, & damnationis aeternae: hoc enim repugnat bonitati, sapientiae, ac convenienti gubernationi divinae.

Resp. II. Actus ex genere suo, seu objecto venialis, vel indifferens fit mortalis per accidens, seu per aliquid ei adjunctum.

1. Ex errore conscientiae, quo quis putat id, quod agit, esse mortale, licet re ipsa non sit. Nam tunc consentit in mortale apprehensum.

2. Ratione affectus graviter inordinati in rem aliquam leviter malam, vel indifferentem, constituendo in ea finem ultimum, ut si ex affectu ad illam paratus sis illam velle, si mortalis esset, vel peccare mortaliter potius, quam ab ea abstinere, vel illam comparare per medium graviter illicitum. Nam tunc eam praefers divinae amicitiae, & violas graviter maximum praeceptum diligendi Deum super omnia.

3. Ratione finis mortaliter mali, ad quem ordinatur, ut adulatio, seu laudatio ex se venialis ordinata ad subornandam virginem. Nam talis actus continet affectum ad rem mortaliter malam; & medium malitiam finis contrahit.

4. Ra-

4. Ratione gravis damni, vel scandali, quod ex re levi secuturum prævidetur, vel prævideri potest, ac debet, ut si ex furto rei levis prævideas alterum blasphematurum: Nam ob talem effectum actus graviter adversatur charitati; & causa participat malitiam sui effectus.

5. Ratione periculi incidendi in mortale, in quod quis experiëntiã didicit, se ex actione de se leviter mala, vel indifferenti incurrere, puta si aspectus mulieris, vel colloquium inducat ad actum turpem, vel consensum in delectationem veneream; si ludus de se licitus, sit occasio proxima pejerandi, blasphemandi, &c. Nam mortale est, exponere se morali periculo peccandi mortaliter: is quippe Dei amicitiam, & animæ salutem contemnit, qui ejus perdendæ periculum probabile non vitat, cum potest; & eodem præcepto, quo tenemur vitare peccatum, tenemur etiam ejus probabile periculum vitare.

6. Propter contemptum formalem præcepti, vel regulæ, vel Superioris quæ Superior est, ut si quis violet præceptum in re levi, quia præceptum est, sive quia renuit subjici præcepto, vel Superiori. Talis enim inobedientia inducit contemptum potestatis à Deo derivatæ, & Superioris, ut Minister Dei est, ejusque vires gerit: qui contemptus redundat in

Tom. I.

P

Deum

Deum, juxta illud Luc. 10. *qui vos spernit, me spernit.*

Item omissio Consilii Evangelici ex contemptu, quasi Deus inutilia, & vana consuleret, mortalis est. Nam est graviter injuriosa Deo, & Deus ipse consilii author contemnitur.

Q. 9. *An multa venialia possunt facere unum mortale?*

Resp. I. Peccata Venialia quantumvis multiplicata non possunt per se efficere unum mortale, nisi eorum materiae, vel effectus uniantur. *Est communis*: quia 1. ex Trid. sess. 14. c. 5. per venialia à Dei gratia non excludimur. 2. Peccatum mortale, cum sit contemptus Dei, & aversio à fine ultimo, habet malitiam ordinis superioris, imò infinitam, quàm proinde æquare nequeunt quævis venialia. 3. Sola multiplicatio non constituit peccatum in alia specie: peccatum autem mortale est in alia specie à veniali.

Qui tamen proponeret omnia venialia occurrentia committere, vel ad hoc paratus esset, vellétque sola mortalia vitare, secundum Sanchez, & Bonacin, mortaliter peccaret, etiamsi contemptus formalis deesset: quia illius propositi objectum continet apertissimum peccandi mortaliter periculum, quod talis vult subire, cum ex

SS.